

lensis ecclesiae providentes, ad tollendam in posterum omnem calumniam et controversiam, quae inter canonicos Tullensis ecclesiae et cives Tullenses saepe nasci solebat, auctoritate imperiali concedimus et confirmamus ecclesiae Tullensi et canonicis, ibidem deo et beatae Mariae semper virgini et beato protomartyri Stephano servientibus, tam praesentibus quam futuris, omnia acquisita et acquirenda, ad praebendam eorum pertinentia, et omnia intuitu pietatis eis collata et conferenda libere habenda et possidenda in perpetuum, necnon ecclesiae canonicorum et suorum hominum libertatem, sicut piissimi imperatores praedecessores nostri eis universa confirmarunt et sicut in scripto bonae memoriae Petri Tullensis episcopi continetur¹. Praeterea concedimus eisdem canonicis et confirmamus, ut homines sui in civitate vel in burgo Tullensi commorantes in ditione tantum sint canonicorum et eis solis serviant, salvo tamen in omnibus iure imperiali. Statuimus etiam et nostra imperiali auctoritate sancimus, ut nullus episcopus, nullus comes, nullus cives, nulla persona talliam vel praecationem seu aliquam aliam exactionem in praefatis hominibus canonicorum sine grata licentia eorundem faciat, canonicis exceptis. Liberi sint ab omni banno et damnatione, excepta canonicorum, salvo iure imperiali, ut dictum est; nec respondeant nisi in praesentia et in iustitia canonicorum, hoc excepto, quod illi homines canonicorum, qui mercatores fuerint, eis, quibus caeteri mercatores respondere debent in nundinis vel in die fori, quantum ad mercaturam spectaverit, de negotio mercaturae tantummodo² respondeant; nec cives nec aliqua persona prohibeat, quin homines canonicorum mercatores fiant, sicut et caeteri cives. Quicumque autem huius nostrae concessionis et confirmationis violator extiterit, decem libras auri puri pro poena componat, medietatem camerae nostrae, reliquam medietatem passis iniuriam.

Datum Aguenovae anno ab incarnatione domini mil-

1) — *sicut venerabilissimus Gerardus (963—994) et felix memoriae Petrus (1167—1192) praedecessores nostri et piissimi imperatores confirmarunt*, so sagt 1200 Bischof Matthaeus von Tull. Benoit l. c. Preuves 99; Calmet, Hist. de Lorraine II, 412 ed. Ia. Die Urkunde stimmt fast Wort für Wort mit der unsrigen überein. Hatte Bischof Matthaeus diese vor Augen oder folgte er und Heinrich VI. dem — wie es scheint — verlorenen Privileg des Bischofs Peter? 2) Nach E. Mayer, Zoll, Kaufmannschaft und Markt in der Festschrift f. K. v. Maurer 469 wäre damit 'nicht eine sachliche Beschränkung in Bezug auf die Handelsgeschäfte gemacht'. Meine entgegengesetzte Auffassung habe ich in der Ueberschrift ausgedrückt.